

Universitätsbibliothek Wuppertal

Maximi Tyrrii philosophumena

Maximus

Lipsiae, 1910

Cap. I - De editionibus Maximi

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2966](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2966)

PRAEFATIO.

CAP. I. DE EDITIONIBUS MAXIMI.

Primum Janus Lascaris quendam Maximi Tyrii librum φ (φ) in Graecia repertum secum in Italiam cum tulisset ac Laurentio Mediceo dono dedisset, illius sororis filio Cosmo Paccio archiepiscopo Florentino persuasit, ut latine verteret „asserens — ut est in Petri Paccii ‘qua viri literati salutantur’ epistula dedicatoria — gratum fore ac iucundum munus id Latinis omnibus propter novum ac magnificum scribendi genus.“ Quam versionem perfectam quidem ab interprete ac praefatione ad Julium secundum pont. max. instructam, sed nondum editam, fratre interim mortuo Petrus Paccius Romae apud Mazochium anno MDXVII^o emisit (σ^1)¹); σ^1 emissam duobus annis post, cum „graeca quaedam excerpta“ haberet, recognitam, Joanni Groliero Lugdunensi dicatam, Beatus Rhenanus Selestadiensis Basileae apud Frobenium prelo subiecit (σ^2)²); unde tertium anno MDLIV^o Parisiis σ^2 auctore Alberto Piete „avec de nouvelles corrections“ i. e. typhotetarum aliquot erroribus sublatis³) — nam graecum

1) Cf. Schweiger Handbuch der klass. Bibliogr. I 204, Combes Dounous Dissertat. de Maxim de Tyr traduites Paris 1802 I praef. p. 22 sq. Huius editionis ornatissimum exemplar commemoratur in „bibliotheca exquisitissima“ Paris. 1732 p. 205; idem commemorat Graesse trésor de livres rares et précieux ou nouveau dictionnaire bibliogr. Dresden 1863 IV p. 454.

2) Ad hanc editionem spectat catalogus biblioth. Bunavianae I^s (ed. Franke) Leipz. 1750 p. 2131.

3) Quod quam necessarium fuerit — quamquam permulta a Beato Rhenano correctata sunt — ex. gr. doceant Titolino pro Titolmo (p. 8. 10), Phrymonem pro Phrynionem (p. 186. 8), Stragirite pro Stagirite (p. 43. 8), Procuna insula pro proxima insula

exemplar iam nullum publicatum erat, ex quo latinam versionem emendatiorem reddere poterat — in lucem prodiit σ^3 (σ^3); quartum denique ab Henrico Stephano eodem anno quo „disputationes Maximi Tyrii graece nunc primum editae“ illius iussu prelum reliquerunt — qui annus est MDLVII — emendata quidem quantum inter plagulas corrigendas fieri σ^4 poterat, attamen non retractata typis excussa est (σ^4).

b De excerptis graecis quae Beato Rhenano, si fides est, ad manum erant¹⁾, nihil effici potest, quia ipse praeter mentionem hanc obiter factam nihil de iis protulit.

Ed.
Steph.

Sequitur Maximi prima editio ab Henrico Stephano Parisiis anno MDLVII⁰ ex ipsius officina in lucem emissa, praefatione ad Arnoldum Arlenium instructa, editoris in Maximi Tyrii *λόγους* castigationibus exornata. Stephanus α in edendo Maximo usus est codice quem Arnoldus Arlenius s possessor cum eo communicaverat, sed adiutus est „etiam quodam exemplari (in paucis tantum *λόγοις*) quod a Joanne Stracelio literarum Graecarum professore Regio commodato acceperat“, excerptorum scilicet, ut videtur.

Stephani editione, versione (σ^4), arte critica nonnulla excitata sunt virorum doctorum observationes atque studia in Maximi dissertationibus vel vertendis vel „castigandis“ collocata, quae ut absolvam hic breviter enumero. Versiones igitur inter Stephani et Heinsii editiones in lucem editae vel integrae vel singularum dissertationum commemoratae inveniuntur hae:

- 1) Dialoghi di Massimo Tirio in Italiano e Spagnuolo Venetiis apud Bologninum Zaltieri anno MDLIX in 4⁰.

(p. 153. 15), Teethaeo pro Theaeteto (p. 442. 2) spectatores pro sectatores (p. 10. 8 *οι διώκοντες*), scaevam pro scaenam (p. 200. 15) alia, quae innumera in σ^2 inveniuntur ab illo silentio praetermissa.

1) „Quem auctorem, cum in nostras nuper manus pervenisset, diligenter legimus et recognovimus quod huius Graeca quaedam excerpta haberemus: ac cum hic statuissetus aendum, tibi inprimis Grolieri dicandum putavimus“ in Beati Rhenani ad Grolierum epistula dedicatoria (p. 2 vers. finem).

- 2) Maximi Tyrii quemadmodum discernendus sit adulator ab amico (or. 14) lat. interpret. Jo. Caselio Rostochiae anno MDLXXXVII⁰; eadem iterum anno MDXC⁰ Helmstedtiae typis excussa memoratur (et redintegrata est, ut videtur, in „J. Caselii Amoeniore opuscula edita cura Joh. A. Acker“ Jenae 1707).
- 3) Plaidoyer pour les gendarmes contre les laboureurs (or. 23) par F. Morel Parisiis MDXCVI (in 12⁰).¹⁾
- 4) Deux Discours: touchant l' allégresse et gaité de l' esprit avec le remède de fâcherie (or. 28); touchant ceux qui ont le mieux discoursu de Dieux, les poètes ou les philosophes (or. 4); par Fr. Morel chez Pierre Bresche Paris 1607.

Artem criticam vero Maximo adhibuerunt praeter Scalligeri, Petiti, Porti, Theod. Canteri coniecturas hic illic dispersas viri docti

- 1) Paulus Leopardus in libro cui inscriptum est „Eminationum et miscellaneorum“ libri XX tom. I priores decem libros continens Antverpiae anno MDLXVIII⁰, tom. II ed. a P. Scriverio in Gruteri Face critica tom. III (Francofurti MDCIV) p. 339 et 372.
- 2) Andreas Schottus „in Maximi Tyrii sermonibus observata ad editionem Henrici Stephani anno MDLVII⁰“ ab Heinsio cui ille ea miserat, in editionem alteram suam recepta.

Quae proximo saeculo in lucem prodierunt Maximi editiones, auctorem ferunt Danielelem Heinsium. Sunt autem tae:

- 1) V. C. Maximi Tyrii philosophi Platonici dissertationes XLI graece. Cum interpretatione²⁾, notis³⁾ et emen-

Ed.
Heins.¹

1) De qua versione cf. Catalogue de l'histoire de France tom. X Paris 1870 p. 458: le titre de départ page 3 porte en plus: „prins de l'original de Tyrius Maximus“ et on lit à la fin „discours traduit du grec par Fr. Morel le dernier d'aout 1596“.

2) De versione Heinsii audias Marklandum ad Dorvillium haec scribentem (p. 337 ed. Lips. Supplicum): „Doleo quod elegans haec sed vaga versio vel paraphrasis potius Heinsii in hac

dationibus Danielis Heinsii. Accessit Alcinoi in doctrinam Platonis introductio ab eodem emendata et alia eiusdem generis. Lugduni Batavorum apud Jo. Patium anno MDCVII^o tomi tres.

Ed.
Heins.²

- 2) Maximi Tyrii dissertationes philosophicae. Cum interpretatione et notis Danielis Heinsii hac secunda editione emendatioribus. Accessit Alcinoi in Platonem introductio Lugduni Batavorum apud Io. Patium Anno MDCXIV^o tomi duo.

Duas editiones has ipsius Heinsii nomine insignitas duae excipiunt editiones quas cum Heinsii recensio in iis anonymi cuiusdam viri docti curis vel repetita vel retractata sit, inter Heinsianas nostro iure enumeramus; sunt autem hae:

Ed. La-
riotiana

- 3) Maximi Tyrii philosophi Platonici scriptoris amoenissimi dissertationes. Ex nova interpretatione recens ad Graecum contextum aptata et collocata e regione: additis numeris et erroribus anteriorum editionum quam diligenter detersis. Lugduni sumptibus Claudii Lariot typographi Regii MDCXXX.

Ed.
Heins.
Oxo-
niensis

- 4) Maximi Tyrii dissertationes graecae et latine Oxonii e theatro Sheldon anno MDLXXVII^o in 12^o accedunt Demophili sententiae (editio iterum emendatior ut videtur, cf. Graesse l. a.: „le texte y est souvent corrigé sur des coniectures“).¹⁾

nitida editione (scil. Londinensi) servabitur. Mihi nequaquam placent huiusmodi excursus potius quam versiones quae ingenium interpretis quidem demonstrant, sensum auctoris incertum et obscurum ne dicam intactum aliquando, immo saepissime, relinquunt“ cf. Duebn. praef. p. VIII.

3) (p.V) Notarum exemplar manu Heinsii scriptum asservatur in bibliotheca Lugdunensi cf. Catalogus librorum tam impressorum quam manu scriptorum bibliothecae publ. univers. Lugduno Batavae 1716, Geel cat. libr. mscr. qui inde ab anno 1741 bibl. Leyd. accesserunt Leyden 1852. 337 (manusc. graeci 77): „collectio chartarum maioris formae in qua de scriptura sacra ... notarum ad Apuleii metam. fragm.; item ad Maximum Tyrium Heinsii“ cf. quoque Harles (Fabricius) bibl. V^s 521.

1) Quae Combes Dounous in versionis suae praefatione (p. XXVI adn. 1) scripsit verba „in bibliotheca Hulsiana tom. III

Heinsius praeter Paccii et Stephani labores atque auxilium compluribus codicibus instructus — inter quos Regium a Casaubono sibi missum „optimae notae esse, e quo non pauca supplere poterat“ ipse non ignorabat — tamen in textu graeco Stephani excudendo acquiescens collatione quadam accurate conficienda plane supersedebat. Palatini π codicis a Frehero ei oblatis (quem tamen „ex locis paucissimis $\acute{\omega}\varsigma$ $\xi\xi$ $\acute{\omicron}\nu\acute{\omicron}\chi\omega\nu$ cognovisse“ se ipse confessus est) plane nulla fit mentio praeterea, ita ut effici nequeat utrum inter Palatinos ille nobis servatus sit an per annos perierit. Neque vero excerpta quaedam a Sixto Arcerio ei data, a quae Arceriana nobis cum Heinsio nominantur, accuratius circumscripsit.

Post Heinsium Heinsii tamquam pedissequi enumerandi sunt:

- 1) Traitez de Maxime de Tyr qui sont quarante et un discours profondement doctes et grandement éloquens. De nouveau mis en Français par Guillebert Rouen chez Jean Omont 1617 (cf. Combes praef. p. XXXIII sq.).
- 2) Maximi Tyrii discorsi trad. da Pierrio de Bardi Venetiis apud Giunta anno MDCXLII^o in 4^o (cf. Graesse l. I., Fabricius³ (Harles) V p. 522, Combes praef. p. XXXV adn. 1).
- 3) Maximi Tyrii disputationes tres cum Plutarchi libello de morbis animi . . . latine per Joannem Rainoldum Londini 1619 in 12^o; iteratum in „Rainoldi Orationes XII“ Oxonii 1628; translatum ut videtur a viro docto Vaughan in librum cui inscriptum est Olor Isianus. A collection of select poems London 1650 in 8^o.¹⁾

part. I p. 195, numero 3431 citatur editio cum notis Heinsii Lugduni Batavorum 1694 in 8^o videntur ad Ed. Heins.² referenda esse, anno 1694 errore typ. posito pro 1614; nusquam enim alibi editionis huius mentionem factam invenire equidem potui.

1) De quo audias Graesium l. a.: Vaughan avait déjà traduit dans son Olor Isianus . . . la suivante pièce: of the diseases of the mind and of the body and which of them is most pernicious; the question stated and decided by Maximus Tyrius

- 4) Maximi Tyrii commentatio quod sermonum optimi sint qui operibus consonent (or. 25) Helmstedtiae 1665 (cf. Schweiger Handbuch der klassischen Bibliographie I p. 204 sq.).

Heinsii laborem, quem „tumultuarium“ non sine iusta causa Nicolai (gr. Literaturgesch. II p. 653) appellavit — quippe quem Heinsius ipse „paucissimis diebus quos huic curae impendit“ se confecisse gloriatus sit — opus si auctorem ipsum audias¹⁾ non minus tumultuarium excipit Editio prior Davisii²⁾, cui inscriptum est:

Ed.
Dav.¹

Μαξίμου Τυρίου λόγοι Maximi Tyrii dissertationes. Ex interpretatione Danielis Heinsii. Recensuit et notulis illustravit Joannes Davisius coll. Regii apud Cantabr. socius. Cantabrigiae ex officina Joann. Hayes MDCCIII.

Ed.
Dav.²
(Oxonien-
sibus)

Plane alia est — nam iuxta Regium etiam Harleianum ipsis hic illic oculis inspectum adhibuit — altera Davisii editio, quam quod ad textum notasque criticas die quinto decimo mensis Martii anni MDCCXXVIII¹ ab ipso auctore confectam praefatione inchoata, nectamen perfecta ineditam relictam — cum die vicesimo altero eiusdem mensis anno MDCCXXXII⁰ ille mortuus sit — societate quadam Anglica ad libros sumptu suo edendos condita iussu Ricardi Mead societatis praesidis duodecim annis post Joannes Ward Oxoniensis („e coll. Greshamensi“) edendam curavit inscripto titulo:

Maximi Tyrii dissertationes ex recensione Joannis Davisii colleg. Regii Cantabr. praesidis Editio altera ad duos codd. mss. emendata notisque locupletioribus aucta. Cui accesserunt v. e. Jeremiae Marklandi adnotationes. Londini apud G. Bower anno MDCCXL⁰ in 4^{0.3})

a Platonic philosopher; written originally in the greek and put into latin by J. Rainolds.

- 1) „In tumultuario hoc opere, si quid recte praestiti, gaudebo; sin minus, animi saltem me non poenitebit.“
- 2) Multis viris doctis laudata cf. ex. gr. Clericus bibliothèque choisie tome XI; Fr. Schoell Gesch. d. gr. Litt. I. I. „vorzüglicher ist die Ausgabe von J. Davis“ al.
- 3) „An excellent edition“ cf. Lowndes the bibliographers manuel of english litterature London 1864 III p. 1521.

Quae editio post triginta quattuor annos Reiskio operis praesidio ac decore accersito curis Georgi bibliopolae Lipsiensis repetita in lucem prodiit hacce inscriptione exornata:

Maximi Tyrii dissertationes ex recensione Joannis Davisi coll. Regii Cantabr. praesidis. Editio altera ad duos codd. mss. emendata notisque locupletioribus aucta. Cui accesserunt Jer. Marklandi coll. d. Petri Cantabrig. socii annotationes. Recudi curavit et annotatiunculas de suo addidit Jo. Jacobus Reiske. Partes duo Lipsiae impensis Gotth. Theoph. Georgi MDCCLXXIV

continens praeter ea, quae in editione Oxoniensi a Wardo emissa leguntur:

Praefatiunculam Reiskii, V. C. Joannis Davisi ad 'superiorem' suam Maximi Tyrii editionem praefationem, Jeremiae Marklandi ad Maximum Tyrium praefationem (seorsum hic in initio operis positam). Ad Maximum Tyrium J. J. Reiskii animadversiones (I 483—503; II 291—306).

Accesserunt igitur editionis Davisianae tutores ut ita dicam

1) Marklandus, qui — ut ipsum de notis suis audias — *Markl.* aestate anni MDCCXXXIX¹ „ruri positus nonnulla commentatus in priorem doctissimi et optimi Joan. Davisi (*τοῦ μακαροῦ*) editionem Maximi Tyrii Cantabr. MDCCLIII, postea concessa potestate inspiciendi secundam, antequam in publicum prodiret, ea conditione, ut si quid notatu dignum restare videretur, istud communicaret, ex pluribus“ ea quae ante oculos habemus „excerpsit“, quia „eruditissimus vir in hac editione tam frequenter a priore sententia discessit, ut a necessitate quidem dissentiendi plerumque eum liberaverit“⁽¹⁾,

2) Reiskius²), qui „defatigatus in ergastulo Plutarcho, in *Reiske*

1) Ceterum Marklandus est qui praeter coniecturas in notis suis „novum aliquod de hoc auctore et de gemina editione harum dissertationem ab ipso Maximo in publicum data“ vel protulit vel prolaturum se esse pollicitus est.

2) Qui lectioni Maximi intentus adeo non „sustinuit taedium subrepens cum affectatae dictionis — in Homeri atque Platonis iactatione ita inepte insolescentis ut tirunculi nostrates

quo per totam hyemem veluti catenae illigatus fuisset exercitus, praetereaque Maximi lectione iam minus se delectari sentiens senex factus quam olim florente adhuc aetate“ „gerens tamen morem voluntati hominis de graeca literatura bene mereri conantis“ Georgii scilicet, „schedas excussit, in quibus ante viginti annos exaratis“ sua „quae tum fuerant ad Maximum Tyrium visa deposuerat“, retractatas tam „invita Minerva, tam obtuso ingenio atque a meditationis contentione abhorrente“, ut „veniam rogaret lectores opellae suae censors-que hortareturque ut mirari nolint neque fastidire deformitatem schediasmatis tumultuarii.“

Praeterea in Ed. Dav.² mentio quoque fit codicis Vindobonensis, qui e Lambecii comment. libro septimo editori innouit; commemorantur etiam hic illic quaedam Apostolii excerpta, de quibus utrisque quid rei sit paulo infra dicitur.

Accedunt qui (ceteroquin Davisium secuti) si quid auxilii graecis Maximi verbis tulerunt, ex ingenio tulerunt, scil.:

- 1) Des Maximus Tyrius philosophische Reden aus dem Griechischen übersetzt von Chr. Tob. Damm Berlin 1764. apud Wewerum, nunc Sanderum (cf. Ersch Bibliogr. Hdb. der philol. Literatur der Deutschen (bearb. von Geibler) 3. Aufl. Brockhaus Leipzig 1845, p. 243.)¹⁾

cum magistellis suis mirifice sibi placent in oculis Tullianis conserendis et exemplis conterendis ex antiquitate repetitis odiosi fiunt — tum conclusiuncularum tam futillum tam contortarum atque intricatarum tam denique miserarum, ut nescias infantiam sophistae ad pueros se iactantis risune an commiseratione prosequaris, quem ubi diu molestas per ambages sis persecutus et cuniculos eius perreptando fatigatus, cernas tandem sophisticam in foveam te incidisse“, ut Maximum „ornare et tollere praeconio suo iussus censoria nota eum premeret“; quod iudicium iniquius, quam quod nostrum faciamus, cum ego iam in dissertatione mea repudiassem, nunc etiam Meiser perferendum esse diserte negavit.

- 1) De qua editione cf. Schweiger l. a. „die Übersetzung ist hart und oft undeutsch“; Fr. Schoell Gesch. der gr. Literatur, (Nach der zweiten Aufl. a. d. Französischen übersetzt von M. Pinder) Berlin 1830 II 502 „eine etwas harte Übersetzung“; Combes Doun. praef. p. XXXV adn.; inprimis autem Reiskium, qui de

- 2) Discours philosophiques de Maxime de Tyr mis en français par Formey. Leyde chez Luchtmans 1764 in XII^o (versio pessima — ut passim in adnotationibus suis ostendit Combes — et quam qui confecit, graeca verba vertenda ei ne obiter quidem inspexit cf. ad p. 276. 3; 286. 13).
- 3) Dissertations de Maxime de Tyr philosophe Platonicien *Combes* traduites sur le texte Grec. Avec des notes critiques, historiques et philosophiques par J. J. Combes Dou-nous membre du Corps Législatif et de quelques Sociétés Littéraires 2 Tomes. Paris chez Bossange Masson et Besson anno XI^o (= 1802) (cf. Nouvelle bibliographie générale par F. Didot frères. Paris 1861 s. v.)¹⁾
- 4) Dissertations of Maximus Tyrius translated from the grek by Th. Taylor 2 volums 12^o London 1804 (cf. Lowndes l. a., Schweiger l. l., Westermann Gesch. der

ea sic indicat 'quae ut satis esse potest iis si quibus satis sit universe Maximi sententias tenere modumque disputandi noscitate, ita parum videtur eorum studia sublevatura si quos iuvat graecam Maximi orationem critica cum diligentia per-vestigare atque eliminare.'

1) Ceterum Combes de codicibus, qui in bibliotheca Regia Parisiensi tum asservabantur, referens cum alios, tum exemplar commemorat, de quo ipsum si audieris ita locutum „le second des manuscrits de la bibliothèque contenant les quarante et une dissertations de Maxime de Tyr est un des fruits de nos dernières victoires en Italie. Il est du nombre de ces monumens qui sortis de la bibliothèque du Vatican sont venus augmenter les richesses de la nôtre. Le caractère écrit sur ce qu'on ap-pèle papier coton est très net et assez facile à déchiffrer . . . à la quinzième ligne (de la première page) il a laissé une la-cune de quelque mots (vi. ad p. 391. 6/7). Les marges offrent une multitude de notes qui paroissent appartenir à plus d'une main. Son titre est, comme celui du premier (scil. Regii), Disser-tations de Maxime de Tyr (écrites ou prononcées) à Rome lors de son premier voyage . . . remplacé au commencement de la huitième dissertation par celui que nous avons déjà vu: ouvrages philosophiques de Maxime de Tyr, qui reparoit à la fin de la dernière. Mais, dans celui-ci, on ne retrouve point le nouvel ordre arithmétique“, inter Vaticanos hunc codicem extare putan-dum esse intelleges.

griech. Beredsamkeit Leipzig 1833 I p. 207/8 adn. 5 et 6).

- Dukas 5) *Μαξίμου Τυρίου Λόγοι τεσσαράκοντα καὶ εἰς. Ἐπεξηγησθέντες καὶ Ἐκδοθέντες παρὰ Νεοφύτου Δούνα. Ἐν Βιέννῃ τῆς Ἀουστρίας ἐκ τῆς τυπογραφίας Γεωργίου Βενδώτου* 1810 (cf. Engelmann Preuß. bibl. scriptor. classicor. 8. Aufl. Leipzig 1880 I p. 509).¹⁾

Duebneri denique editioni haec est inscriptio:

Theophrasti characteres, Marci Antonini commentarii, Epicteti dissertationes ab Arriano literis mandatae, fragmenta et enchiridion cum commentario Simplicii, Cebetis tabula, Maximi Tyrii dissertationes Graece et latine cum indicibus. Theophrasti characteres XV et Maximum Tyrium ex antiquissimis codicibus accurate excussis emendavit Fred. Duebner Parisiis editore Ambrosio Firmin Didot MDCCCXLI; ad verbum iterata anno MDCCCXXVII^o 2).

Duebnerus nova Regii collatione habita (recordatus iam Boissonadium in Anecdotis aliqua ex Regio codice Davisionon lecta protulisse) „multis modis emendatiorem Maximum Tyrium“ emittere cum sibi tum ceteris plerisque visus est. Sed quamvis „varietatem optimi codicis cum pulvisculo expromptam offerre“ sese diserte asseruerit, tamen in suspicionem nuper venit virorum doctorum vel

1) Cuius editionis baptismo sponsor unus pater interfuit Davisius neque nomine suo is appellatus; ac verborum contextu ad verbum, quid dico, ad typhothetarum errores ex altera Davisii editione maximam partem — nam etiam ἐκ τῆς ἀρχαίας ἐκδόσεως (scil. e priore Davisii editione) haud paucas lectiones resuscitatas in suam recepit — repetito eo usque patrisat, ut missum facere possis Ducam, nisi Maximo ex ingenio quoque opem ferre conatus satis multas sui ipsius coniecturas vel recepisset vel recipiendas proposuisset.

2) Cui accessit nil nisi adnotatiuncula mense Septembri anni MDCCCXLIIⁱ conscripta, qua adfirmatur Duebnerum cum otium ei non esset Maximum denuo tractandi, impraesentiarum haec notasse: p. 363. 13 legendum esse εἰς τὴν κάτω auctore Jacobsio; p. 395. 8 πρὶν πονήσῃ μακέλλῃ auctore eodem; p. 31. 2 ἀεὶ καινοὺς σνιοφάντας auctore Orellio.“

de fide eius pro sua parte dubitantium vel evoluto si fors tulit codicis volumine intellegentium si qui Duebnero diffident, suo iure eos illi diffidere. Qui quam recte iudicaverint ut intellegas, en habes e congerie locorum gravissimos hosce sicut ego eos legi cum Duebneri lectione compositos: p. 5. 1 δ' ἐκ κρητῆρος, δὲ κρητῆρος; p. 5. 5 φιλοσόφῳ, φιλοσόφου; p. 6. 1 δυσπειθῆ, δυσπαθῆ; p. 10. 19 ἀγωνιστικῆν, ἀγωνιστήν; p. 13. 1 ἄρρατος, ἄρρατος („sic“) s. acc.: (tamquam corruptum, nam „ubi dubium aliquod aut corruptum vocabulum incidit, quod sententiae tenorem interrumpat aut ab librario non intellegeretur, continuo accentus omittuntur“, quam legem tamen haud adeo stricte ut Duebnerus sibi persuasit a librario servatam esse, cum praeterea passim accentus omittantur, ipse perspicies) p. 14. 16 ἀναίδην, ἀνέδην (tacite); p. 16. 13 ἐθάρσει, ἐθάρρει; p. 19. 2 τιμή ≡ κατ' (quod fuit τιμῆν), τιμή η („hoc erasum“) κατ'; p. 19. 16 οὐδὲ, οὐδέν; p. 21. 2 ἐνόμισαν, ἐνόμισε; p. 21. 20 τέρρη, τῆ τέρρη; p. 24. 8/9 ποταμοῦ μεγίστου (pr. man.), ποταμὸς μεγίστου „a pr. m.“; p. 26. 9 προελθοῦσα (ut p. 384. 6), προσελθοῦσα; p. 27. 17 ἐπεὶ, ἐπὶ; p. 28. 3 πᾶν· καὶ (ut recte Dav.²); πᾶν· ἢ καὶ; p. 28. 5 ὁ πάντων, ἀπάντων; p. 30. 14 Σωκράτη (ut p. 31. 17/18), Σωκράτην; p. 32. 13 ποθεῖσκέψασθαι, ποθεῖς σκέψασθαι (tacite); p. 34. 1/2 ἀντερρητόρευεν (ut p. 38. 10 παρησίας p. 49. 6 διαρεῖ p. 82. 4 (et 10) διαρηγνυμένων p. 220. 13/14; 262. 8; 387. 9 al.), ἀντερρητόρευε; p. 34. 4 Λύκιον (cf. p. 222. 2 al.), Λύκειον; p. 34. 11 κλανμυριζόμενα, κλανθυριζόμενα; p. 42. 4 αὐτῷ, αὐτῶν; p. 47. 8 οὕτως (ut p. 95. 5; 443. 22 al.), οὕτω; p. 57. 3 ἐκάστων, ἑκάστον; p. 60. 6 κατὰ τὴν τύρην, κατὰ τύρην; p. 66. 8 γνωριμώτατα, γνωρίσματα; p. 74. 20 ἀργία, ἄρραγι; p. 84. 3 θρέματα, θρέματα; p. 86. 2 δήμους, δημίους; p. 91. 18 ἐπ' ἄλλους, ἐπ' ἄλλον; p. 95. 8 ἀνῆρ ἀγαθός, ἀνῆρ οὕτως ἀγαθός; p. 95. 10 διεσκαμμένην, διεσκαμμένον (err. typ.); p. 97. 12 νοεῖται καὶ θεοῖς, νοεῖται θεοῖς; p. 99. 8 θεὸς νύ τις, θεὸς νύ τοι; p. 99. 11 νεαιτάουσιν, καιεταουσιν; p. 100. 6 λογικῶ, ἀλόγῳ (err. typ.); p. 100. 8 συγκεκρατημένην, συγκεκρατημένον; p. 110. 4 πηδῶν ἅμα, πηδῶν ἀνά;

p. 110. 6 Ἐκτορα εἶδον· εἶδον δὲ καί, Ἐκτορα· εἶδον δὲ καί;
 p. 111. 17 μόγισ, μόλις; p. 112. 16 ὅσπερ καὶ ἀπέκτεινεν,
 ὅσπερ ἀπέκτεινεν; p. 113. 4 διέξιμί σοι, διέξιμί σοι; p. 115. 10
 ἔχειν μὲν, ἔχει μὲν; p. 122. 4 ἐπιλαβομένην, ἐπιλαβομένης
 (tacite); p. 122. 7/8 ἀναπεμπαζομένην, ἀναπεμπαζομένης;
 p. 122. 12 τοῦ χειρον προάγοντος, τοῦτο χειρον προάγοντος;
 p. 127. 5 τίς ὁ θεός, τί ὁ θεός; p. 128. 4 ἐκλόγου, ἐκ λόγου;
 p. 128. 8 ἐτέρωθεν τι, ἐτερωθέν τις; p. 130. 1 φωνῆ φωνήν λα-
 βοῦσα, φωνήν λαβοῦσα; p. 130. 4 ἢ αὐτοί, ἢ αὐτοί; p. 130. 9 με-
 λάγχροος, μελανόχροος; p. 135. 14 ὄσον, ὄσαν; p. 146. 10 εἰς,
 ἐς; p. 146. 13 φαίην, φαίη; p. 153. 14 ἀγαπαῖς, ἀγαπῶς; p. 153.
 19 παραβαλλομένων ἐν θαλάττῃ per dittographiam, de ditto-
 graphia silet Duebn.; p. 160. 10 καὶ τὰ τίμια om. in mge add.
 man. eadem, καὶ τὰ τίμια in contextu tacite; p. 164. 7 παῖδα,
 ἀποκτενεῖ σε ὁ, παῖδ' ἀποκτενεῖς' ὁ; p. 166. 11 περαιούμενος,
 περαιούμενον; p. 167. 6 χειμῶνι, χειμῶνος; p. 168. 10 ἐστὶ,
 ἐσοί; p. 174. 16 φιλάνθρωπος, φιλάνθρωπότητος; p. 177. 4
 συναπολλύει, συναπολαύει; p. 184. 2 τοὺς μὲν ἄλλους, τοὺς
 μὲν οὖν ἄλλους; p. 192. 2 ὁμῶς, ὁμως; p. 197. 20 καιτήμασι,
 καιτήμασι; p. 197. 25 ὀφλισκάνειν, ὀφλισκάνειν (tacite);
 p. 200. 14 εἰ ἔτυχεν, ὡς ἔτυχεν; p. 205. 8 Ἀκαδημία (cf.
 p. 266. 5; 362. 12), Ἀκαδήμεια; p. 209. 2 περὶ λόγους, περὶ
 τοὺς λόγους; p. 211. 9 πρὸ Ὀμήρου, πρὸς Ὀμήρῳ; p. 219. 17
 ἐπὶ, ἐπεὶ (tacite); p. 220. 1 ἐπιτολητόν, ἐπιτολητέον;
 p. 223. 1 καὶ γελῶντες om. in mge add., καὶ γελῶντες in con-
 textu tacite; p. 231. 1 Ἀτθὶς Ἀνακτορία, Ἀτθὶς καὶ Ἀνακ-
 τορία; p. 236. 20 καὶ μακαρίσει, μακαρίσει (err. typ.); p. 244.
 13 δέδειεν (cf. p. 223. 2; 275. 20), δέδιεν (tacite); p. 246. 1
 ἀμφοῖν δημαγωγούμενον, ἀμφοῖν μὲν δημαγωγούμενον;
 p. 248. 2 συντεταγμένος, συντεταμένος (ex Marklandi coniec-
 tura tacite); p. 253. 16 αὐτῆς γῆς, τοσαύτης γῆς; p. 255. 16
 ἐπιταδοῦς, ἐπὶ δούς (tacite); p. 256. 19 ἀνά νάπτει, ἀνάπτει
 (tacite); p. 257. 15 ποῦ, πῶς; p. 258. 6/7 αὐτὴν τὴν εὐτειχοτάτην,
 αὐτὴν εὐτειχοτάτην; p. 262. 2 βό|βοτρον, βότρον (tacite);
 p. 265. 16 ἐρᾶν, οὐ φασι μὲν, ἐρᾶν φασι μὲν; p. 267. 15 Ἀχιλ-
 λῆος, Ἀχιλλῆος; p. 268. 1 δημοδέστατος (ut recte legit Heins.),
 δημοδεστάτης (tacite); p. 268. 5 μὲν ἠδέος, μελιηδέος (ex Ste-

phani coniectura tacite); p. 270. 9/10 *περὶ τὰς δίκας, πρὸς τὰς δίκας*; p. 276. 9 *μήτε, μηδέ*; p. 276. 19 *λείστη* (in ras. ex *ληϊστή*), *ληϊστή*; p. 278. 16 *βεβλημένω, βεβλημένων*, „etiam Reg.“; p. 279. 17/18 *εὐκαρπωτέραν, εὐκαρποτέραν*; p. 280. 19 *τετραμμένον, τεθραμμένον*; p. 282. 10 *ἐλευθέρου, ἡλευθέρου*; p. 294. 13 *εἰ δὲ καὶ σωμάτων, εἰ δὲ σωμάτων*; p. 301. 2 *μήπω μὲν, μήπω με*; p. 305. 3 *ἐξορμώση, ἐξορμῶσα*; p. 308. 13/14 *Ὅμηρε ἀνίζομαι πάντων, Ὅμηρ' ἀνίζομαι ἀπάντων*; p. 311. 18 *ἐπάγωμεν, ἐπανάγωμεν*; p. 313. 8 *οὕτως· εἰ ἦδη, οὕτως· ἦδη*; p. 317. 3 *κῦμα, ἄταλλε, κύματ' ἄταλλε*; p. 321. 11 *δήπου ἀτεχνίαν, δή που τὴν ἀτεχνίαν*; p. 326. 12 *ὄγκροασία, ὄγκροατία*; p. 336. 8 *καθάπερ, καθὰ*; p. 338. 12 *φείδωλός, φίδωλός* „sic“; p. 338. 13 *πότερα, πότερον*; p. 338. 14 *ἡλιθίου, ἡ λίθου* (ex Scaligeri coniectura tacite); p. 342. 12 *χαίρειν τὲ τῆ, χαίρειν τῆ*; p. 342. 13 *ἐπεραιούτο, ἐκπεραιούται*; p. 351. 9 *ἐντετευχηότες, ἐντετευχηότες*; p. 359. 16 *ἐσωφρόνησαν* (prim. man.), *ἐσωφρόνισαν*; p. 365. 5 *τῶ τῆς φύσεως, τῶ φύσεως*; p. 367. 10 *ξυνουσίαι, ξυνουσίας*; p. 369. 12 *ξυνενεικάμενος, ξυνενεγκάμενος*; p. 370. 17/18 *δὲ καὶ τῶν ἄλλων, δὲ τῶν ἄλλων*; p. 372. 10 *ἐρῶν, ἐρῶν*; p. 379. 5 *αὐτοῖς, αὐτῆ*; p. 379. 18 *ἄλλωα corr. in ἄλωα, Ἀλῶα*; p. 382. 3 *οὐδὲν σοφία, οὐδὲν φιλοσοφία*; p. 389. 2 *τότ' ἀνθρώπου, τό τ' ἀνθρώπου*; p. 392. 3/4 *καὶ κοδαίμων, καὶ κακοδαίμων* (tacite); p. 393. 17 *τοῦτό τοι, τοῦτό μοι*; p. 396. 16 *ὑπερώην* (v del. et ην in ras.), *ὑπερώην* (tacite); p. 397. 2 *αἰσθητῶ* pr. man; corr. man. recent. in *αἰσθήση* (mutatis τ et ω in σ et η et suprascripto ι q. d. subscripto), *αἰσθητω* „positis super τω signis ~ marginalem notam indicantibus quae non fuit addita“; p. 397. 10 *ὑπερρηνης* pr. man., *ὑπ' εἰρήνης* (tacite); p. 397. 17 *ἀναπανόμενος, ἀναπανσάμενος*; p. 398. 11 *τὸ ηνντον* pr. man.; corr. in *τὸ νήνντον* ead. man.; corr. in *τὸ νήριτον* man. recent., *νήριτον* „ut videtur“; p. 398. 14 *Καλυψῶ ἱ. . ν, Καλυψῶ. . ν* „fuit οὖν ni magnopere fallunt oculi“; p. 399. 14 *Ἡρακλέους* (del. v man. alt.), *Ἡρακλέους* (tacite); p. 401. 8 *Κυναιγείρου, Κυναιγείρου* (tacite); p. 403. 12 *ἔχει, ἔχιν*; p. 409. 20 *ὑπε|νεύνοιας* (erasis ε|ν), *ὑπερ εὐνοιας* „ut videtur“; p. 410. 10 *ἀπό*

τοῦ Ἰσθμοῦ, ἀπὸ Ἰσθμοῦ; p. 411. 13 ἀγή|πολις, Ἀγησίπολις (tacite); p. 415. 10 ἐάλων, ἐάλων; p. 420. 7 σιδήρω τούτῳ γένει, σιδήρω γένει; p. 424. 2 εἵνεκεν, εἵνεκα; p. 425. 10 ταῦτα, ταύτας; p. 426. 17 ἀποκρίνασθαι, ἀποκρίνεσθαι; p. 437. 17 δίδου τ', δίδου δ'; p. 440. 14 οὐ γάρ πω, οὐ γάρ πον; p. 441. 6 ἀκούομέν σου, ἀκούω μέν σου; 441. 15 αὖ, οὖν; p. 442. 14 τουτονί, τουτωνί; p. 443. 19 ὡς εἶπερ, ὥσπερ; p. 451. 10 τό, τε γάρ, τὸ γάρ „cod“; p. 460. 5 ἐπι, ἐπει (tacite); p. 460. 17 ἰσοστασίω, ἰσοστασία; p. 461. 6 Ναυσικᾶι, Ναυσικάα; p. 463. 16 οὔτε, οὐδέ; p. 464. 10/11 φρονηματέρω συμβούλω, φρονηματέρου συμβούλου; p. 468. 16 καταδύσεται, καταδήσεται (pro καταδύσεται err. typ.? edidit enim καταδύσεται); p. 468. 18 κειμένη, κᾶν μένη; p. 469. 2 τούτῳ, τούτου; p. 471. 15/16 προηγμένον, προηγούμενον; p. 475. 19 Φίλιππος, ὁ Φίλιππος; p. 476. 1 ἔξωθεν τοῦ χοροῦ, ἔξω θελου χοροῦ (tacite); p. 479. 5 δὲ αὐτή, καὶ αὐτή; p. 480. 8 λοιμώττουσιν (et λοιμὸς), λιμώττουσιν (et λιμὸς) „codex“; p. 483. 17 αυτουη, αυτουκ.

Maximam partem loci hi quos enumeravi eius generis sunt, quos cum ederet Duebnerus, in lectione eorum a Davisio data acquiesceret; ubi ipse codicem inspexit, ex parte non bene oculatus perperam lecta protulit — neque enim desunt, quae iam antea Davisius rectius intellexerat —, ex parte silente Davisio (quippe qui Stephanum secutus neglecto Regio permultos locos formaverit) recte dedit — siglo „Reg.“ non „cod.“ notata ea — quia primus ea dedit; unde apparet, cum codicis imaginem e plurimis Davisii, ipsius Maximi paucis consutam et tamquam conferruminatam ille circumscripserit, plane nullo modo fieri potuisse, quin nos Maximum edituri de integro codicem Regium non tam ad extremum revolveremus quam ad litteram perscrutaremur. Codicum praeter R in Duebneri „relatione critica de Maximo Tyrio“ una cum „praefatione“ operi praemissa (p. IX—XXII) non facta est mentio uno excepto Harleiano illo, cuius lectionem a Davisio oblatam ex illius editione altera aliquoties mutuatus est. Idem e Paccii versione codicis Florentini lectionem eandem atque ceteri editores collectam bis terve praebuit

Raro artem criticam ipse exercens raras virorum doctorum praeter Heinsium Davisium Marklandum Reiskium — quorum inventis illum usum esse scriptura abbreviata demonstrabitur qualis ex. gr. est Markl. (Duebn.) — coniecturas hic illic occasione data in lucem editas adnotationibus suis inseruit. Citantur autem a Duebnero praeter Portum, Salmasium, Scaligerum, Grotium, Sopingium

- 1) Paulus Leopardus Isebergensis emend. et miscellan. libr. XX Antverp. 1568 (etiam in Gruteri Lampade (vel Face critica) tom. III).
- 2) Toupius Emendationes in Suidam Oxoniae 1790 vol. II p. 305, vol. III p. 387 et 404.
- 3) Wakefieldus silva critica Cantabr. 1789—1795 vol. I 112 II 81 et 94 III 53, 144, 155.
- 4) Ludovicus Valkenaer a) Diatribe in Eur. Hippolyt. ed. Ratallero Leyden 1768 vel ed. Egerton Oxford 1796; b) Ammon. Leyden 1739 p. 218.
- 5) Dorvillius Chariton. Amstelodam. 1750 p. 228 et 470.
- 6) Pierson Moeridis lexicon restit. emend. animadvers. ill. anno 1759 (iteratum curis G. A. Koch anno 1830) p. 39.
- 7) Lennep Phalarid. epistol. Groningen 1777 p. 44.
- 8) Boissonade Anecdota graeca Paris 1833; Nova anecdota Paris 1844 vol. IV p. 417, 430, 478 vol. V p. 95.
- 9) Fridericus Jacobs a) Animadversiones in Euripidis tragoedias. Accedunt animadversiones in Stobaei florilegium 1790 p. 125; b) ad Philostratum p. 797.
- 10) Eldichius Specimen suspicionum Zutphaniae 1764 p. 4.

His accedunt a Duebnero silentio oppressi

- 1) Orellius Epistolae philologiae („Philologische Briefe“ an J. J. Hottinger) quibus librum „Isocratis περί ἀντιδόσεως her. von A. Mustoxydes Verbessert, mit Anmerkungen und philologischen Briefen begleitet von J. Kaspar von Orelli Zürich 1814“ exornavit. Quarum tertiae inscripsit „Über einige Stellen des Maximos

von Tyros, Aristoteles, Cicero u. Tacitus, inde a p. 349 usque ad p. 359.

- 2) Bornemann de gemina Xenophontis Cyrupaediae et Maximi Tyrii recensione dissertationes criticae Schneebergae III partes 1814—16.¹⁾
- 3) Knebel Observationes in Maximi Tyrii dissertationes Progr. gymnas. Coblenz I et II 1833.

Post Duebnerum denique Duebneri editione enixi de Maximo egerunt:

- 1) Rob. Unger (Electa critica Friedlandiae et Novi Brandenburgi 1842 III partes).²⁾
- 2) Aemilius Hahn (Observationes criticae in Maximum Tyrium. Diss. inaug. Vratislaviae 1877) qui paucis de usu vocis *εἰ* et *ἄν* a Maximo observato praemissis (p. 1—4) locos potissimum duodetriginta (quibus „thesis“ una accessit publice defendenda) emendandos (inde a p. 5 usque ad p. 36) proposuit, emendavit nullum.
- 3) Ricardus Rohdich (De Maximo Tyrio theologo dissert. inaug. Vratislav. prodiit Bythomiae 1879) qui cum quaestionibus suis ad philosophiam pertinentibus coniecturas aliquot de suo hic illic inseruit, tum duos potissimum Maximi locos in thesibus publice tractandos emendare sibi visus est.
- 4) H. Hobein (de Maximo Tyrio quaestiones philologiae selectae. Diss. inaug. Gotingensis prodiit Jenae 1895).

1) Qui ni fallor arma tulit adversus Marklandum duplicem Maximi esse editionem arbitratum; quem quomodo refutaverit, exponere equidem nequeo, cum nullo modo efficere potuerim ut exemplar libelli huius alicunde conquirerem.

2) Quem inmerito ut ita dicam inter eos, qui in emendando Maximo studium collocaverint, enumerant (ut Engelmann Preuss I p. 510 et 16). Etenim praeterquam quod tribus locis (p. 23. 7 *πενθοῦσι* p. 84. 10 *μεταβαλὼν* p. 185. 18 *Νιρέα*) Marklandi lectionem amplexus ad illustranda ea quae ostendere sibi proposuit, adhibuit (eandem ob causam quartum (p. 284. 1 sq.) citavit), unum tantum locum de suo coniectura temptavit (p. 169. 14 *Κατάνην*) viam ingressus, qua ante eum iam Toupius inceserat.

- 5) Karolus Dürr Sprachliche Untersuchungen zu den Dialexeis des Maximus von Tyrus Diss. inaug. Heidelbergens. prodiit Tubingae 1899 (etiam in Philologi supplem. VII) qui non tam emendando quam defendendo huic editioni profuit, cum primus quo dicendo genere Maximus usus sit accuratius observaverit.¹⁾
- 6) Karolus Meiser (Studien zu Maximos Tyrios: Sitzungsberichte der Kgl. bayr. Akad. der Wissensch. Philosoph. philolog. München (1909) 6. Abhandlung) tribus capitibus praemissis (I. Allgemeines. II. Die Bildersprache des Maximos. III. Max. über Socrates) adnotationes criticas (p. 32—67) edidit, quae cum mihi innotuissent pars operis mei prelum iam reliquerat. Unde factum est, ut ex parte coniecturas illius in apparatu q. d. critico invenias (inde a p. 193), ex parte te lector orare coactus sim, ut 'Addenda' adeas in calce operis subiuncta. Etiam Meiser utpote qui Maximum suum bene noverit multa melius vidit, quam viri critici anteriores. In quibus quattuor sunt loci (p. 19. 9; 29. 8; 42. 1; 101. 15), quos inscius cum illo consentiens plane eodem modo ego conformaverim atque ille.

Quae praeterea virorum doctorum conamina vel verbis (ut Saupprii, Bottermanni ad p. 353. 19) vel per litteras mecum communicata (ut emendationes, quibus exornandi opus meum veniam benigne mihi dedit Henricus Schenkl), vel sparsim publicata huc faciunt velut Rademacher ad p. 351. 4 (Mus. Rhenan. Neue Folge. Bd. 50 p. 478); Fr. Schöll ad p. 42. 1 (Dürr. p. 38 adn. 230) et ad p. 19. 9 (ib. p. 59 adn. 370); Wilamowitz ad p. 346. 2 et ad 444. 11 (dissert. meae p. 87 et 41) alia quaecumque mihi innotuerunt singulis locis adposita adnotavi.

1) „Diese Abhandlung verfolgt das Ziel, die Sprachmanieren eines jener Rhetoren zu schildern, die Philostratus . . . als *φιλοσοφίσαντες ἐν δόξῃ τοῦ σοφιστεῦσαι* bezeichnet. Es soll damit ein Beitrag zur Geschichte der griechischen Sprache gegeben werden . . .“

Uno denique verbo commemorem orationem Maximi secundam a Wilamowitzio in librum cui inscripsit Griechisches Lesebuch Berlin 1902 (I 2 p. 338—342) totius libri proposito accommodatam (omisit p. 24. 1 τὰ μὲν usque ad p. 25. 15 ἄγαμα) receptam adnotationibusque epexegeticis (ibid. II 2 p. 212—215) instructam esse textu secundum Duebneri recensionem constituto.

CAP. II. DE CODICUM MEMORIA.

Notitia litteraria q. d. expedita iam nobis circumspiciendum erit, quidnam subsidii in libris manu scriptis positum sit. Sed antequam exponamus, quae inter singulos codices intercedat ratio, primum omnino statuendum erit, quibus codicibus Maximi reliquiarum memoria ad nos pervenerit, quibus in bibliothecis codices illi asserventur, quibus numeris notisque hodie singuli insigniti sint. Quem laborem de integro mihi subeundum — nam neque quam Montfaucon dedit neque Fabricii enumeratio (utpote obsoleta et manca ex parte) iam sufficit — liberalissime sublevavit vir clarissimus Henricus Schenkl iis, quae ego composui, libenter correctis, auctis, examinatis. Quae cum ita sint, certum me hoc editionis fundamentum substruxisse speraverim idque eo magis quod eiusdem viri cl. liberalitate adiuto mihi contigit, ut codicum — quos quidem non ipse integros contulerim — omnium fere unam alteramve partem collatam adhibere potuerim.

Codicum vero quattuor genera discernuntur: primum eorum, quibus omnes Maximi sermones XLI continentur, alterum, quod codices efficiunt, in quibus corpus dissertationum aliquot τῆς πρώτης ἐπιδημίας falso insignitum traditum est, tertium codicum singulas dissertationes (vel complures vel unam) continentium, quartum excerptorum codices amplexum; quam divisionem litteris a, b, c, d continuo codicum numero adpositis significabo. Sunt igitur codices singularum terrarum hi: